

S Itq̄; alueus vbi A. cur autem adiectione iuxta Vitruuianum præscriptum per scamillos non facta, alueolatus oculo stylobata, licet non sit, appareat, deinceps patefaciemus. Esto enim stylobata A. cuius ad libellam constituta planicies B. C. basis suppositæ plinthus D. E. F. G. oculus H. Dico oculo in H. constituto, stylobatam A. alueolatum videri. Ducatur recta H. C. G. quæ quidem visionis radius est, erit igitur stylobatæ planicies B. C. horizontis loco, quare plinthis G. F. erit ac si intra alueum quendam immersum esset, oculo enim in H. constituto non apparebit, sed erit ac si thorus ipsi B. C. planiciei impositus esset, basis itaq̄; ipsi oculo in H. constituto plinthis carēs videbitur. Cui quidē vitio occurrere volens Vitruuius, adiectionem per scamillos, vt ex eius verbis colligi potest, excogitauit.

